

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 774

**Auteur(s) :** Rouen (official)

**Bénéficiaire(s) :** Eu (doyen)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1263, 19 août

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Autre lettre de l'official de Rouen au doyen d'Eu, au sujet des dîmes perçues par Raoul, curé de Melleville, dans sa paroisse

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CCXVII, p. 246-247.

Texte établi d'après a

Officialis Rothomagensis decano de Augo salutem in Domino. Cum Radulphus, rector ecclesie de Mellevilla, confessus fuerit coram nobis viros religiosos., abbatem, et conventum de Ulteriori Portu debere percipere in parrochia ipsius rectoris fructus garbarum decimalium, videlicet in territorio magne decime duas partes garbarum decimalium, et in territorio parve decime omnes fructus decimales garbarum, exceptis decimis fructuum crescentium in ortis clausis ab antiquo, prout in litteris curie nostre super hoc confectis plenius continetur, et ex parte dictorum religiosorum nobis sit intimatum, cum querela, quod dictus rector dictos fructus seu aliquam partem in aliquibus locis dictarum decimarum, seu ejus mandatum, contra confessionem suam temere veniendo, percepit et levavit, seu perceptionem predictorum nomine suo factam, contra immunitatem monasterii seu [ecclesie] eorumdem religiosorum, ratam habuit et habet ; unde, cum petant dicti religiosi ipsum rectorem condempnari et [compelli] ad restituendum sibi omnia que ipse, vel ejus mandatum, de dictis decimis dicitur absportasse, in processu [cause], si necesse fuerit, declarandis, et ad desistendum de cetero a perceptione eorumdem, et eidem super premissis perpetuum [.....] opponi : vobis mandamus quatinus dictum rectorem ex parte nostra moneatis de restituendo dictis religiosis [omnia] que de dictis decimis dicitur absportasse, inhibentes eidem ne ipse contra promissionem predictam premissa [percipere] presumat. Quod nisi fecerit, a vobis competenter monitus, et si contra inhibitionem vestram venerit, citetis ipsum peremptorie, ad diem sabbati post octabas Assumptionis beate Marie Virginis Rothomagi, coram nobis rationem ostensurum quare monitioni et inhibitioni vestris parere minime teneatur, eidem significantes quod ipsum suspendemus, nisi monitioni et inhibitioni paruerit antedictis, vel coram nobis comparuerit dicta die ; nichilominus ex parte nostra inhibentes eidem, ne ipse de fructibus antedictis, videlicet de augusto presenti, contra promissionem suam predictam et confessionem, aliquid capiat, percipiat et habeat. Quod nisi inhibitioni vestre parere voluerit, citetis ipsum peremptorie coram nobis ad terciam diem Rothomagi coram nobis, cum vestrarum testimonio litterarum, rationem ostensurum quare ad premissa facienda non teneatur, eidem significantes quod ipsum excommunicabimus, nisi inhibitioni vestre paruerit antedictis vel coram nobis

comparuerit, dicta die eidem a vobis coram nobis prefigenda. Quid inde feceritis et inveneritis, et de responsis ejusdem, nos litteratorie certifficetis. Datum die dominica post dictum festum, anno Domini M°. CC°. LXmo. tercio.